

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4171

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** bref/mandement

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1250...

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Mandement de Louis [IX], roi de France, adressé à Étienne de la Porte, concernant la convention conclu entre le doyen et le chapitre de Bayeux, d'une part, et les habitants de la cité de Bayeux, d'autre part.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1187, p. 326.

## Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, dilecto et fideli suo, Stephano de Porta, salutem et dilectionem. Cum contentio verteretur inter dilectos nostros decanum et capitulum Baiocenses, ex una parte, et cives nostros Baiocenses, ex altera, super eo quod dicunt predicti cives homines manentes in soppis ecclesie Baiocensis et in maneriis prebendarum et dignitatum ejusdem ecclesie, necnon et clericos uxoratos, et mulieres viduas, si prefati homines, clerci et vidue mercaturas exerceant, ratione dictarum mercaturarum debere contribuere cum ipsis civibus in talliis nostris, respondentibus ad hoc predictis decano et capitulo, quod predicti homines manentes in soppis et maneriis supradictis necnon et clerici uxorati et vidue Baiocenses temporibus clare memorie Philippi, avi nostri, et regis Ludovici, genitoris nostri, et nostro etiam usque nunc de predictis talliis fuerunt liberi et immunes, nec de eis aliquid exsolverunt, licet exercerent easdem mercaturas vel similes quas modo exercent; vobis mandamus, quatinus ad civitatem Baiocensem personaliter accedentes una cum Luca de Villaribus, ballivo nostro Constanciensi, cui hoc idem per litteras nostras mandamus, inquiratis per bonos et fide dignos viros cum diligencia veritatem qualiter super premissis fuerit usitatum temporibus regis Philippi et Ludovici, genitoris nostri, et nostro, et utrum predicti homines manentes in soppis et maneriis predictis, clerci uxorati et vidue exercentes easdem vel similes mercaturas quas modo exercent, unquam predictis temporibus aliquid solverunt de talliis supradictis, et inquisitionem quam super hoc feceritis, sub sigillis vestris clausum (sic), nobis ad octabas instantis Candelose afferatis vel mittatis. Quam diem partibus assignavimus coram nobis.

(À la suite du mandement du roi est transcrise la transaction suivante :)

Talis est pacis conventio ordinata, si domino regi sederit, inter decanum et capitulum Baiocenses, ex una parte, et cives Baiocenses, ex altera, ita videlicet quod vidue mulieres in civitate Baiocensi commo rantes, que mercaturas exercuerint, sicut alii mercatores tallie domini regis subjacebunt; si vero de suo proprio redditu vel mobili

sine mercimonio faciendo vixerint, de dicta tallia immunes et libere remanebunt., Item, concessum est hinc et inde de clericis conjugatis, quod, si predicto modo mercimonia exercuerint, tallie predicte sicut alii mercatores subjacebunt ; si vero pagamenum (sic), libros vel hujusmodi ministeria ad ecclesiam pertinentia vendiderint, vel si de suo redditu vel proprio sine mercimonio vixerint, predicte tallie minime subjacebunt. Item, de soppis que sunt ex parte ecclesie et que sunt ex altera parte vie, ita concessum est : quod levantes in eis et surgentes commorando, pro aliquo mercimonio quod in eis exerceant vel extra, dum modo non portent illud extra soppas, propter hoc dicte tallie non subjacebunt ; sed, si extra soppas grossa mercimonia exercuerint, communiter sicut alii mercatores pro dicto mercimonio dicte tallie subjacebunt. Item, de masuris pertinentibus ad dignitates vel prebendas ecclesie, concessum est, quod, si quis feodatus predicta mercimonia in eis exercuerint (sic), tallie sepedicte subjacebit, per illud mercimonium tamen extra dictam masuram justiciandus ; si vero aliquis non feodatus manserit in mansura canonici, ipse immunis erit a tallia ; et, si plures fuerint hospites qui mercaturas exerceant, unus tantum de tallia immunis erit quem canonicus elegerit ; si domus feodata ad canonicum redierit, predicta libertate gaudebit ; si vero interim feodetur, ad pristinam consuetudinem revertetur.